PEREGRINUS OPPOLIENSIS

Raum Brixen (Neustift ?), 1. Hälfte 15. Jh. Seite 31r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35415
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

penis inferni acuit. Expedit ut suspendatur mola asinaria in collo eius etc. Sicut enim sunt diverse mansiones bonorum propter diversa merita, sic sunt diverse puniciones sive mansiones malorum in inferno. Hic est funiculus triplex qui difficile rumpitur quo ad tria clausuram scilicet ecclesie quam habet beatus petrus et eius successores. De potestate sacerdotali attende quam magna est. Potest enim sacerdos conficere et ministrare corpus Christi quod nemo alius potest. Potestas non sacerdotalis magna est per imposiciones. Unde ecclesia hodie recolit exaltacionem scilicet petri qui Anthyochie cathedram episcopalem suscepit. Pro quo aliter eum in ecclesia plebis et clerici. Legitur quod sanctus petrus cum Anthyochie predicaret theophilus princeps illius civitatis dixit ei: petre quare populum meum subvertisti. Cum ergo fidem Christi predicaret ille eum vinculatum fecit et sine cibo et potu permanere iussit. Sed cum petrus pene iam deficeret et resupinus cum viribus elevatis oculis in celum ait: Ihesu Christe miserorum auditor adiuva me in istis tribulacionibus deficientem. Cui dominus ait: petre credis te derelictum a me? cur talia dicis?

non formidas potestatem eius qui miseris tuis subveniat. Et paulus autem audiens de incarceracione petri veniens ad theophilum se multis artibus opificem fecit et asseruit. Cum rogatus a theophilo quod secum maneret quod et factum est. Evolutis paucis diebus paulus ad petrum introivit absconse. Quem cum vidisset pene mortuum amarissime flere cepit et ipsum amplexatus est dicens: O petre frater mi gaudium sit tibi et resume vires. Tunc petrus oculos aperiens et ipsum recognoscens lacrimari cepit et sibi loqui non poterat. Et accurrens paulus vix os eius aperuit et imponens cibum refocillavit. Hic dic quomodo paulus corripuit theophilum de incarceracione pauli petri et quomodo mortuos suscitaret et infirmos curaret. Cui theophilus: Ista fabulosa sunt paule quia si mortuos suscitaret se ipsum de carcere liberaret. Cui paulus: Sicut Christus a mortuis resurrexit ut dicitur quod tamen de cruce descendere noluit sic petrus hoc exemplo non liberat se, sed et pati pro Christo non formidat. Cui theophilus